

PRAEFATIO.

Quae hic proponitur epistolarum *Caroli Linnaei* ad *Nicolaum Josephum Jacquinium* editio, hanc ab orbe erudito saepius postulatam, et a *Josepho Francisco Jacquinio* diu meditata, tandem a summorum virorum nepote et *Caroli Schreibersii* filio praestari, mecum laetantur botanici, qui, quidquid Linnaeorum Jacquiniorumve superest, pie solent suscipere.

Autographae principis botanicorum ad patrem epistolae, inter pretiosissima doctae familiae cimelia sancte a filio servatae, post venerandi senis fata, quem meritis annisque gravem praemature tamen amissum lugemus, nepoti cessere, unico quem e filia reliquit.

Optimae spei adolescens, cui praeter avitum e materno genere decus, paternum etiam nomen calcar addit, clarissimorum virorum memoriae dandum putavit, ne nobilissima historiae literariae documenta diutius sepulta manerent. Ego, cum suasorem non quaereret, libens tamen consilium et operam in adornanda editione interposui, data lege, ut dispositae juxta temporis seriem epistolae, quam accuratissime